

suspensionis a *divinis*, illatumque damnum reparare tenetur. *Cap. 1. De sent. et re jud. in VI.*

3. Scripto falsarius est notarius vel alius quicumque falsum testamentum vel aliud publicum aut privatum documentum scripserit, signaverit, aut immutaverit in parte aliqua substantiali, vel etiam suppresserit in alterius præjudicium. Pœna ordinaria contra istos præfinita non est in jure nostro. Hinc pœna extraordinaria falsarius scripto puniendus est. Jure romano statuta erat pœna deportationis, publicationis bonorum cum infamia.

4. Falsum in specie committi potest contra litteras apostolicas, et quidem pluribus modis juxta *cap. 5. h. t. et cap. 'Quam grave' eod. in VI.* qui quidem reducuntur ad sequentes. Ut scilicet vel prorsus falsæ confingantur Bullæ, vel genuinæ corrumpantur in parte substantiali, vel sigillum adimatur vel addatur, vel abrupto filo nova folia inserantur. Corruptarum et falsarum Litterarum Apostolicarum indicia summat *Glossa in cap. 5. h. t. ad verbum 'Falsitatis': 'forma, stylus, filum, membrana, litura, sigillum. Hæc sex falsata dant scripta valere pusillum'*. Pœna hujus criminis sunt excommunicatio latæ sententiæ Pontifici Romano reservata. *Cap. 7. h. t. et 'Bulla Cœnæ' § 6.* In Constitutione '*Apostolicæ Sedis*' articulus hac de re reperitur inter excommunicationes latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatas; sub n. 9. legitur excommunicatio contra 'omnes falsarios Litterarum Apostolicarum etiam in forma *Brevis*, ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel per S. R. E. Vice-Cancellarios seu gerentes vices illorum, aut de mandato ejusdem Rom. Pont. signatarum, necnon falso publicantes Litteras Apostolicas etiam in forma *Brevis*; et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Rom. Pontificis seu Vice-Cancellarii, aut gerentes vices prædictorum'. 2º. Clericus falsarius Litterarum Apostolicarum privatur ipso facto omnibus officiis et beneficiis ecclesiasticis, et si ipse per se falsificaverit Litteras Apostolicas degradatur et traditur Curie sæculari puniendus. *Cap. 7. h. t.*

5. *Facto* falsarii sunt qui nummos seu monetas publicas vel cudant auctoritate sua, vel fingant prorsus, vel justæ monetæ pondus imminuant. Antiquitus Alchimidæ hujus falsitatis rei erant. Hinc contra ipsos in Extravag. un. h. t. statuitur ut tantumdem

de bono auro vel argento pauperibus erogare teneantur. Quod si impares sint pœna extraordinaria arbitrio judicis sunt puniendi, simulque declarantur infames. Clerici autem in hac materia falsarii privantur beneficiis jam obtentis et inhabiles declarantur ad alia obtinenda.

Falsariis hujus tertie classis adnumerandi sunt venditores, qui utuntur falsis ponderibus et mensuris, necnon qui dolose terminos agrorum immutant.

6. *Usu* seu melius *abusu* falsarii sunt, qui falsitate ab aliis posita et fabricata utantur. Ii præter restitutionem puniuntur vel pœna ordinaria falsi vel extraordinaria juxta criminis gravitatem. Qui vero utantur falsis Litteris Apostolicis si Clerici sunt privandi sunt officiis et beneficiis ecclesiasticis, si laici excommunicationi latæ sententiæ subjiciuntur, quoadusque congrue satisfecerint. Insuper in *cap. 4. h. t. iis*, qui cognoscant se habere falsas Litteras Apostolicas, præcipitur sub pœna excommunicationis, ut infra viginti dies vel Litteras illas destruant, vel resignent. Verum de hac pœna tacet Const. '*Apostolicæ Sedis*'. Circa usum vero falsarum Litterarum, inter excommunicationes latæ sententiæ Ordinario reservatas sub n. 3º. legitur excommunicatio contra 'Litteris Apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes'.

TITULUS XXI.

De sortilegiis.

1. Usus sortis antiquus est inter homines. Sortilegium est 'tentamen quo mediis sortibus conatur aliquis vel determinare quod incertum est, vel detegere quod est occultum'. Sortes dividuntur in *divisorias, consultorias et divinatorias*.

2. *Divisorie* sortes locum habent quando in rerum partitione determinari vult per sortes quid cuique vel uni, alterive competit. Nil mali sortilegium hujusmodi secumfert. Hinc in hæreditate vel in communi dividendo etc., optime potest adhiberi, nisi tamen circumstantia aliqua superstitiosa accedat. Usus autem sortis adhiberi non potest in distribuendis officiis et præsertim in electione ad beneficia ecclesiastica. *Cap. 3. h. t. fin.* Digniores enim sunt præponendi.

3. *Consultoriae* locum habent cum per sortes inquiritur divina voluntas. Sortes hujusmodi in genere illicitae sunt, quia nulla promissio est Dei, qua sciamus ipsum sortes dirigere. Hinc praetensio cognoscendi divinam voluntatem per sortem est genus tentationis Dei. Verum licite fieri possunt si humanum consilium nullo modo haberi possit, simulque non superstitione aliqua sed humilis oratio adhibeatur. Licitae etiam sunt sortes istae si fiant ex divina inspiratione juxta exemplum Apostolorum in electione sancti Mathiae.

4. *Divinatoriae* sortes locum habent quando ipsae sortes adhibentur ad cognoscendum aliquod futurum vel occultum, quod naturaliter cognosci et determinari nequit. Quoniam in hujusmodi sortilegii usu adhibentur media natura sua prorsus improporcionata ad scopum obtinendum, idest ad occultum aliquod vel futurum cognoscendum, hinc sortes hujusmodi illicitae sunt. *Cap. 1. h. t. et can. 28. et 9. caus. 26. q. 5.* Ipsae enim superstitionem redolent. In rerum enim natura effectus sunt proportionati causis suis. Quare si quis intendat per causam insufficientem obtinere aliquem effectum improporcionatum, eo ipso recurrere dicendus est ad causam supernaturalem. Quoniam vero non praesumitur Deus opem suam praestare, quia Deus non obsequitur voluntati hominis insipienter agentis, hinc qui sortes divinatorias experitur, censetur provocare concursum demonis.

TITULUS XXII.

De collusione detegenda.

1. Collusio est 'fraudulenta conventio inter actorem et reum in praedictum justitiae, vel inter defensores seu patronos causae'.

Hisc praemissis 1°. Si collusio fiat in quaestione beneficii ex gr. si conveniant privata auctoritate colligantes ut unus beneficium obtineat, alter pensionem obtineat in fructibus ejusdem uterque beneficio privatur. *Cap. 3. h. t.*

2. 2°. Facta accusatione si accusator ex collusionem desistit a petitione rei, nihilominus iudex procedere debet in inquisitione et processu. *Cap. 1. et 2. h. t.*

3. 3°. Absolutio a crimine, interveniente collusionem facta, non impedit quominus de crimine inquisitio renovetur. *Cap. 4. h. t.*

TITULUS XXIII.

De delictis puerorum.

1. Pueri iidem sunt ac imberes, idest qui septennio majores, nondum expleverunt annum decimum quartum si masculi, et decimum secundum si feminae. Hinc distinguuntur ab infantibus, qui sunt minores septennio completo, et a minoribus, qui adepti quidem pubertatem, nondum tamen annum vigesimum quintum, vel melius juxta recentiore computandi modum annum vigesimum primum expleverint.

2. Infantes criminis incapaces praesumuntur, quia censentur doli capaces non esse. Hinc contra eos criminaliter ad poenam infligendam procedi nequit *L. 'Sed et si quis' ad legem Aquil.* et *Clem. un. 'De homicid.'* Pueri autem censentur esse doli capaces, ac proinde si crimen committant poterit contra eos procedi criminaliter; at mitius sunt tractandi, quam aetate majores. Hinc non potest pueris delinquentibus eadem poena applicari, quae sive ex lege scripta sive ex consuetudine contra majores aetate constituta et recepta deprehenditur. *Cap. 2. h. t.*

3. Immo ex legum intentione neque eodem gradu poenae plectendi sunt pueri aetate minores, quo majores aetate, idest post completum annum vigesimum primum puniuntur.

TITULUS XXIV.

De Clerico venatore.

1. Juxta *cap. 1. h. t.* desumptum ex Concilio Agathensi (an. 506); non autem ex Concilio Aurelianensi prout legitur in Decretalibus Gregorii IX., venatio frequens interdicitur sub poena suspensionis ferendae sententiae, Episcopo quidem per tres menses, presbytero per duos menses, diacono autem ab omni officio. In *cap. autem 2. h. t.* et in *cap. 15.* Concilii Lateranensis IV. interdictio venationis ad omnes clericos extensa est.

2. Quidam contendunt titulum '*de Clerico venatore*' ex contrario usu fuisse abrogatum, expungendumque a corpore juris ecclesiastici. At male quidem. Sciendum est a Doctoribus distingui venationem *clamorosam* et venationem *quietam*. Clamorosa vel saltuosa venatio est, quae fit magno armorum et canum apparatu, et quidem cum strepitu ad majores feras capiendas. Quia est

ea, quæ fit absque strepitu, cum laqueis vel cum moderato armorum et canum usu, ordinato ad capiendas volucres vel minores feras.

Jamvero duo statui possunt puncta. 1º. Ex sensu Tridentini *cap. 12. sess. 24. De Reform.* ubi illicitas prohibet venationes, inferri potest Clericis interdici solummodo clamorosas venationes, præsertim si frequenter fiant. Tum quia Clericus mancipatus divino servitio non debet silvaticas vagationes frequenter inire, *cap. 2. h. t.* et scandalum fidelibus præbere, tum quia in clamorosis venationibus periculum adesse posset occisionis et mutilationis.

3. 2º. Pœna veterum canonum videtur abrogata, et relicta arbitrio Episcopi congrua punitio contra Clericum venatorem. Ita demonstrat Benedictus XIV. *De Syn. Diœc. lib. XI. cap. 10. nn. 8. 9.* Episcopus autem caveat a nimio rigore, præsertim pro prima vice, nec contra venatores Clericos statuatur excommunicationem latæ sententiæ, aut privationem clericalis privilegii. Ita respondit S. Cong. Conc. in *'Asisiens.'* 16. Mart. 1622. in *'Eugubina'* 16. Jan. 1596 et in aliis non paucis quæstionibus relatis a Lucio Ferraris. *Bibl. Can. v. 'Clericus' art. 6. n. 35.*

4. Cæterum quieta venatio honestæ recreationis gratia, corporalis exercitationis intuitu inita, si scandali periculum removeatur, licita clericis est, et in nostris etiam forsitan usus derogavit antiquis canonibus.

TITULUS XXV.

De Clerico percussore.

1. In genere Clericis præsertim majoribus interdictum est a sacris canonibus, quominus propriis manibus aliquem delinquentem sive fidelem, sive infidelem percutiant. *Can. 1. et 7. Dist. 45. Can. 25. Dist. 86. et cap. 1. h. t.* Clericus enim Christi imaginem maxime referre debet, qui cum percuteretur non percutiebat, cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur. *Cit. cap. 7. Dist. 45.*

2. Tamen Clerici possunt inferiores et sibi subditos etiam Clericos correctionis gratia moderate percutere. Verum Episcopis prorsus interdictum est per seipsos percutere, ita ut si videat adhibendam esse verberationem debet per alium et quidem per Cle-

ricum non autem per laicum eam exequi. *Can. 23. Dist. 86. et cap. 24. 'De sent. excomm.'*

3. Pœna contra Clericos percussores est, ut pro qualitate criminis debeant corrigi et puniri juxta arbitrium judicis. *Cap. h. t.* Quod si una etiam percussio a Clerico facta lethalis sit vel saltem enormis deponendus est. Ita Glossa in *cap. 1. h. t.* et Doctores *arg. can. ult. Dist. 25. et cap. 2. h. t.* Indignus est enim statu clericali qui mansuetudine et modestia non decoratur.

TITULUS XXVI.

De maledicis.

1. Maledicus ille dicitur qui 'absque justa causa de aliquo male loquitur'. Et quidem si mala locutio dirigatur contra Deum ejusque Sanctos appellatur blasphemia; si contra hominem absentem dirigatur dicitur *detractio*, dicitur autem *contumelia* si præsentem hominem afficiat.

2. In *cap. 1. h. t.* sermo est de Clerico, qui coram aliis Clericis verba injuriosa protulerat contra Romanum Pontificem, et quidem in depressionem officii et dignitatis ejusdem. Romanus Pontifex jussit illum severe puniri, quin tamen pœnam ipse designaret. Ex hoc *cap.* inferunt Doctores, eum qui contra Pontificem, Episcopum, Prælatum regularem ac principem maledicat, offendens dignitatem, qua persona decoratur, puniendum esse pœna arbitraria juxta qualitatem delicti. Quod si vero injuria afficiat solummodo personam, magis convenit si hæc injuria remittatur, imitando Christi mansuetudinem. *Can. 27. c. 3. q. 4.*

3. Antiquitus Clericus maledicus contra privatam personam cogebatur veniam exposcere, secus usque ad satisfactionem suspendebatur. *Can. 5. Dist. 6.* At abrogata per consuetudinem hæc pœna, inductum est ut quicumque maledici tenerentur juxta *leg. 15. § 27. ff. De jurejur. actione injuriarum et palinodiæ seu retractationis.* Hæc vero actio personarum varia est, pro variis legislationibus et usibus locorum.

4. Huc referri debet in specie prohibitio *libelli famosi*, cujus antiqua pœna erat ut ejus auctores excommunicarentur, et verberibus cæderentur. *Can. 1. et can. 2. c. 5. q. 1.* Accesserunt Constitutiones Sancti Pii V. quæ incipit *'Romani Pontificis'* 17. Mart.

1572 et Greg. XIII. 'Ea est rerum' 1. Sept. 1572. in quibus auctores libelli famosi gravissimis pœnis subjiciuntur, et præsertim pœnæ infamiæ ipso facto incurrendæ. Verum hæ Constitutiones respiciebant directe, et proprie ditionem temporalem Sanctæ Sedis, nec undequaque observantur.

5. In cap. 2. h. t. agitur de blasphemia, et contra blasphemos statuitur 1^o. pœnitentia publica per septem hebdomadas. 2^o. Si noluerint hanc pœnitentiam suscipere interdiciuntur ab ingressu Ecclesiæ et privantur ecclesiastica sepultura. 3^o. Puniuntur etiam mulcta pecuniaria. Clerici autem blasphemii juxta *can. X. caus. 22. q. 1.* deponerentur. At pœnæ hujusmodi obsolescere. Accessit inde Constitutio 'Supernæ Dispositionis' Leonis XI. in *Conc. Lat. V. 5. Maji 1514* quæ graves et crescentes juxta pertinaciam in crimine statuit pœnas contra blasphemos. Hanc Constitutionem temperavit Julius III. sua Constitutione 'Multis' 1. Febr. 1554. cui deinde accessit Constitutio Sancti Pii V. 'Cum primum' 1. April. 1566, quæ regulam practicam contra blasphemos diu constituit. At inde in Tribunali Supremæ Inquisitionis in usu veteres pœnæ non amplius fuere, sed pœnæ sunt arbitrariæ pro qualitate blasphemiarum et personarum.

TITULUS XXVII.

De Clerico excommunicato, deposito vel interdicto ministrante.

1. Clericus qui non obstante depositione audeat exercere ordinem a quo dejectus est, excommunicatione plectendus est. *Cap. h. t.* Quodsi neque inde resipiscat, invocato brachio sæculari pœnis temporalibus et præsertim exilio puniendus est. *Cap. 2. h. t. et cap. 1. 'De off. jud. ord.'* et *can. 19. caus. 11. q. 1.*

2. 2^o. Clericus violans censuram ecclesiasticam, idest si innotatus excommunicatione vel suspensione, aut interdicto, exerceat actum ordinis sui incurrit a) pœnam depositionis ab officio ex iudicis sententia inferendam. *Cap. 3. h. t.* b) Incurrit pœnam privationis omnium beneficiorum. *Cap. 6. h. t.* c) Ipso facto contrahit irregularitatem. *Cap. 9. h. t.* *Cap. 1. § fin. 'De sent. et re jud. et cap. 1. § fin. 'De sentent. excomm.' in VI. cap. 20. eod. in VI. et capp. ult. et penult. h. t.*

3. Quærent Canonistæ utrum etiam irregularitatem contrahat, qui est constitutus in minoribus ordinibus, et censura ligatus actum ordinis sui exercent.

Nonnulli cum Navarro, Avila et aliis tenebant sententiam negativam, quia *cap. 1. h. t. et cap. 20. 'De Sent. Excomm. in VI.* videntur loqui de Clericis in sacris ordinibus constitutis. At Pirhing et Reiffenstuel h. t. et Fagnanus comm. *in cap. 'Si quis Presbyter' h. t.* affirmativam sententiam defendunt, et hic ultimus asserit talem etiam esse sententiam S. Pœnitentiariæ, et S. Congr. Concilii. Quidquid vero sit de veteribus canonibus, hodie dicendum est etiam ipsos Clericos minores violantes censuram contrahere irregularitatem. Nam id patet non solum ex stylo S. Pœnitentiariæ et S. Congreg. Concilii, sed etiam ex Epistola Encyclica Benedicti XIV. ad Pœnitentarios et confessarios urbis pro Anno Sancto, scripta die 3. Decembris 1749 § IV. ubi hæc habet 'Quibus data est facultas dispensandi cum sacerdotibus, aut in sacris ordinibus constitutis super occulta irregularitate ob violationem censurarum contracta (nequaquam vetitum est) quominus eadem facultate utantur cum clericis, qui in minoribus ordinibus sunt constituti'.

4. Ceterum ut pœna irregularitatis incuratur necesse est 1^o. ut clericus exercent actum ordinis jam suscepti. Hinc si clericus ordinem quem non habet suscipiat, non fit irregularis si eum exercent. Hinc etiam si exercent actum solius jurisdictionis ex. gr. assistat matrimonio, non contrahit irregularitatem. 2^o. Temere agere debet clericus et quidem ea temeritate, quæ peccatum lethale secumferat. Quare irregularis non fit si ex ignorantia invincibili agat, vel ex externa necessitate proximi, vel si sequeretur grave scandalum et infamia clerici, vel maxime si ex omissione actus ordinis sui manifestaretur crimen occultum ob quod censura ligatus est. Ratio est quia irregularitas procedit ex lege humana, et lex humana in hisce circumstantiis non obligat.

5. Tandem juxta *cap. 7. h. t.* qui celebrant officia divina in loco interdicto, si clerici sunt privantur suis beneficiis, si religiosi detruduntur in arctius monasterium. In Constitutione 'Apostolicæ Sedis' inter interdicta latæ sententiæ reservata sub n. 2. legitur 'scilicet celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel a delegato Judice, vel a jure interdictis . . . inter-

dictum ab ingressu Ecclesiae ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus cujus sententiam contempserunt competenter satisfecerint'.

TITULUS XXVIII.

De Clerico non ordinato ministrante.

1. Si clericus exerceat actum ordinis, quem nondum susceperit, aut invalide susceperit pluribus pœnis punitur. 1^o. Pœna excommunicationis ferendae sententiae. *Cap. 1. h. t.*

2. 2^o. Contrahit irregularitatem limitatam ad ordinem quem administrat et ad ordines superiores; nec non per biennium aut triennium, non autem ultra suspendi potest ab Episcopo in ordine immediate inferiori illo in quo temere ministraverit. *C. 2. h. t.* Hinc non suspenditur ab aliis inferioribus ordinibus.

3. In specie autem in Constitutionibus Pauli IV., Sixti V., Clem. VIII. et Urbani VIII. quas refert Benedictus XIV. in sua Constitutione '*Sacerdos in æternum*' diei 20. Aprilis 1744. pœna statuta est contra clericos non presbyteros missam celebrantes aut excipientes sacramentalem confessionem; ut nempe clericus taliter delinquens rite degradetur ab ordinibus ecclesiasticis, statimque tradatur curiae sæculari debite puniendus. Neque huic clerico suffragatur privilegium ætatis minoris 25 annorum dummodo 20 annum expleverit. Ob abusus forsitan crescentes Benedictus XIV. in cit. Const. '*Sacerdos in æternum*' 20. April. 1744. prædictarum Constitutionum rigorem auxit statuitque: 1^o. Extrajudiciales Epistolæ Episcopi admitti ad probandum reum non fuisse ad sacerdotium promotum. 2^o. Sub sua et sub prædictis Constitutionibus comprehendendi etiam illos, qui absque gradu sacerdotali ausi fuerint celebrare etiam partem missæ, dummodo peregerint elevationem hostiæ et calicis. Quoad vero Clericum non sacerdotem ministrantem Sacramentum Pœnitentiæ, ait, nulla exceptione excusari, solumque ad pœnam mitigandam juvari, si nempe sufficienter probetur absolutionem non dedisse. In Constitutione autem '*Divinarum*' 2. Augusti 1757., idem Pontifex statuit reis prædictis non amplius suffragari, quemadmodum antiquitus suffragabatur, confessionem Judici factam de crimine patrato.

4. Quod si laici attentent ministrare in ordine non recepto 1^o. fiunt irregulares juxta dispositionem cap. 1. h. t. quæ generalis est. 2^o. Pœna arbitraria etiam gravissima puniuntur.

TITULUS XXIX.

De Clerico per saltum promoti.

1. Collatio ordinis superioris non suscepto ordine inferiore valet, quia quælibet ordinatio tum ratione ritus, tum ratione deputationis personæ ad aliquod ministerium integra est et per se sufficiens. *Can. un. Dist. 32. et cap. un. h. t.* Excipitur autem Episcopatus, qui cum sit complementum et perfectio sacerdotii, essentialiter supponit presbyteratum. *Arg. cap. 10. 'De excessibus Prælatorum' in fin. et Glossa in cap. un. h. t. v. 'De misericordia'*.

2. Clericus promotus per saltum est ipso facto suspensus ab ordine suscepto. Ipse enim contra regulam statui ecclesiastico debitam, conditionem superiorem invasit. Potest vero dispensare in hoc defectu Episcopus licet culpabili et notorio, postquam clericus per saltum promotus suscepit ordinem omissum et dummodo idem Clericus in eodem ordine per saltum suscepto non ministraverit. *Conc. Trid. sess. 23. De Refor. c. 14.* ubi Patres concedunt Episcopis facultatem dispensandi cum clericis promotis per saltum. Si enim clericus ordinem per saltum susceptum exercuerit ante dispensationem, fit irregularis ob violatam censuram suspensionis. *Cap. 1. De sent. et re jud. in VI.* Unde si casus sit publicus solus Papa dispensat. Si vero casus sit occultus potest etiam Episcopus dispensare. *Trid. sess. 24. De Refor. cap. 6.*

TITULUS XXX.

De eo qui furtive ordinem suscepit.

1. Furtive ordinatus dicitur ille qui sine licentia proprii Episcopi, et sine prævio examine temere se fecit ordinare, vel simul eodem die duos ordines majores suscepit. Ordinatio valida est quia elementis essentialibus non caret, at furtive ordinatus, est suspensus ab exercitio ordinis furtive suscepti, non autem ab exercitio ordinis inferioris, legitime suscepti, nec potest promoveri ad altiorem ordinem. Episcopus autem potest super utroque defectu dispensare. *Cap. 12. et 3. h. t.*

2. Diximus validam esse ordinationem furtive receptam. Quid vero si Episcopus vel per edictum, vel per allocutionem

quam ejus nomine habet archidiaconus, vel alio modo declaravit se intentionem non habere ordinandi Clericos, aliquo impedimento ligatos, vel furtive sese immiscentes inter alios?

Animadvertimus Episcopis interdictam esse intentionem hanc conditionalem in sacra ordinatione conferenda. Sequi enim debet Episcopus formam simplicem Pontificalis Romani. *Sac. Congreg. Concilii 13. Febr. 1682.* Sed si constat de hac intentione non ordinandi impedimento ligatos, vel furtive se immiscentes, ordinatio vacua est effectū. *Ita S. Congreg. Concilii in ead. cit. Resolut. Cf. Benedictus XIV. 'De sacrificio Missæ lib. 3. cap. 10. n. 6.* Si vero dubia est intentio, interrogandus est Episcopus, et quoties dubium perseveret, iteranda est ordinatio sub conditione. *S. Congreg. Conc. in 'Aprutina Ordinum' 11. Febr. 1710; in 'Ugentina Ordinum' 3. Augusti 1743.*

TITULUS XXXI.

De excessibus Prælatorum et Subditorum.

1. Pluribus modis Prælati possunt excedere limites potestatis suæ in præjudicium aliorum et agere contra leges. Præcipuos juxta scopum tituli assignabimus. 1º. Juxta caput 1. h. t. Episcopi excessum committunt si novas indebitas exactiones imponant, vel censuras injustas contra subditos infligant, vel clericos ita deprimant ut laicis aspernabiles reddantur ceu viles et indignæ personæ. Contra istos Prælatos, Pontifex comminatur justam sed sane gravem pœnam. Ait enim 'vos taliter puniemus, quod timore pœnæ vestræ ceteri a similibus abstineant'. Huc facit can. 7. dist. 95. qui ita se habet 'Esto subjectus Pontifici tuo, quasi animæ parentem suscipe, sed Episcopi sacerdotes se esse noverint non dominos, honorent clericos, quasi clericos, ut et ipsis a clericis quasi Episcopis honor deferatur'.

2. 2º. Secundus excessus Episcopi est si Ecclesiam prælato inferiori subjectam ab ejus subjectione tamen eximat, vel prælati inferioris lædat immunitatem, et privilegia acquisita sive concessione Pontificis, sive ex consuetudine, sive alio titulo legitimo. *Cap. 2. h. t.* Vel etiam si in genere privilegia impediatur etiam in suis subditis. Quo in casu subditi etiam sub comminatione censuræ obedire non tenentur. *Capp. 5. et 7. h. t.*

3. 3º. Tertius excessus Episcopi est si beneficia suæ liberæ collationis sibi ipsi Episcopus conferat, vel sibi retineat. *C. 3. h. t.*

4. 4º. Quartus excessus si beneficia conferat indignis. *Cap. 11. h. t.*

5. 5º. Si Prælatus præsumat Regularibus et aliis exemptis aliquid præcipere, interdicerere aut prohibere contra tenorem privilegiorum, excedit limites potestatis suæ. Modi quibus Episcopi et alii Prælati possint in religiosos excedere numerantur in *capp. 16. et 17. h. t.* In *Clem. un. h. t.* gravioribus verbis injungitur Prælati ne invadant provinciam Religiosorum exemptorum.

6. Etiam Prælati inferiores excedere possunt limites suæ potestatis. Excedunt vero 1º. Si absque consensu Episcopi vel uniunt Ecclesias sibi subjectas, *cap. 8. h. t.* vel nova ædificent monasteria. *Conc. Trid. sess. 25. De Regul. c. 3.* ubi traditur non posse erigi nova monasteria in Dicecesi absque licentia Episcopi; vel etiam si ædificent nova monasteria contra formam in suis Constitutionibus descriptam. 2º. Si concedant indulgentias, vel publicas imponant pœnitentias, absque peculiari privilegio, hæc enim ad Episcopum pertinent. 3º. Si videant causas matrimoniales, quæ videri possunt a solo Episcopo vel Prælato Nullius, qui jurisdictione plena et quasi Episcopali gaudeat.

7. Subditi autem et privati homines non possunt sese in collegium et publicam societatem constituere, et sigillum, seu publica insignia assumere collegii absque licentia superioris. *Cap. 14. h. t.* 2º. Vicarius qui vindicat sibi personam et titulum rectoris principalis ceu infamis a suo officio removendus est. *Cap. 6. h. t.* 3º. Si privati negent Prælatum vel Episcopum esse dominum suum aut trahunt ad judicem sæcularem, excessum committunt, et si clerici fuerint sunt deponendi. *Cap. 15. h. t.* 4º. Rei sunt excessus homines privati, quoties rident censuras ab Episcopo proprio latas, vel non observent dies festos ab eodem indictos. *Cap. fin. h. t.*

TITULUS XXXII.

De novi operis nunciatione.

1. In cap. 1. h. t. Pontifex scribit 'sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita sacrorum canonum statuta Principum constitutionibus adjuvantur'. Unde canonistæ inferunt prin-